

J. B. J. Müller
profess in allenber

ii.
17

PRO DIE 2. DECEMBR. ANNO MDCCLXXI.
à 9. ad 11.
IN AUDITORIO MAJORE TREVIRENSIS
ACADEMIÆ

EXERCITIUM JURIDICUM

TENTAMINI PRO GRADIBUS
PRÆMITTENDUM,
PROPOSITIS EX JURE VARIO THESISIBUS,
QUAS
PRÆSIDE ME

GEORGIO CHRISTOPH. NELLER,
J. U. D., ET AD SS. THEOLOG. DOCTORATUM ADMISSE,
Ss. Canonum Professore ordinario, insignis Ecclesiæ Collegiæ
ad S. Simeonem Canonico Capitulari & Bibliothecario,
Reverendissimi, & Serenissimi Archiepiscopi Tre-
vir. S. R. I. Principis Electoris Consiliario
intimo, & Examinatore Synodali &c.

DEFENDET

Prænobilis, Ornatissimus, ac Pereruditus

D. FRANCISCUS GERARDUS XAVERIUS LINTZ,
Manderscheidius, AA. LL. & Philos. primus Magister, Jur.
utr. S. R. I. publici & feudalis Auditor.

Augustæ Trevirorum, typis ESCHERMANNIANIS.

2we


OPPUGNANTES.

Nobiles, Ornatissimi, ac Pereruditi

D. Joannes Baptista Michael Hetzrodt Confluus,
Juris utriusque, nec non S. R. I. publici Auditor.

D. Joannes Swibertus Kohl ex Rheinbrohl, Ss. Theo-
logiae Emeritus, Juris utriusque, nec non S. R. I. publici
Auditor.

t Confusus,
r.
l, Ss Theo-
R. I. publici



hū pro
1. In

- 1. Imag
men
Quo
lūa
- 2. Agre
tūm
& ac
verb
- 3. Ag
cap



EX JURE GENTIUM.

TEXTUS.



Item per acceptilationem tollitur obligatio. Est autem acceptilatio imaginaria solutio; quod enim ex verborum obligatione Titio debetur, id si velit Titius remittere, poterit sic fieri, ut patiatur hæc verba debitorem dicere: quod ego tibi promisi, habesne acceptum? & Titius respondeat: habeo.
§. 1. *Inst. quib. mod. toll. oblig.*

SCHOLIA.

1. Imaginaria hæc solutio, typum duntaxat & umbram recepti crediti continens, estne inventum juris civilis Romani, an verò juris gentium, sive rationis naturalis? Et. Quoad rem est hujus juris, quoad formam verò est illius; omnibus enim gentibus sana ratio dicitur, pro soluto esse id, quod fertur acceptum.
2. Agnovit hoc Ulpianus in l. 8. *princ. ff. b. t.*, ubi inutilis acceptilatio utile pactum tamen habere potest; cujus rei causam reddit Paulus in l. 27. §. 9. *ff. de pact.* Si acceptilatio inutilis fuit, tacita pactione id actum videtur, ne pateretur: pacta verò sunt juris gentium.
3. Agnovit idipsum Ulp. in d. l. 8. §. *ult.*, ubi ait, *ferunt*, qui naturalis tantum juris capax est, accepto liberari posse, nec non peregrinam quoque linguam celebratam accep-

- acceptilationem valere, dans pro ratione; quia hoc jure utimur, ut **JURIS GEN- TIUM** sit acceptilatio.
4. Credibile non est, quod acceptilationis substantiam gentes aliæ didicissent à Romanis legum magistris, aut illorum beneficio in communionem hujus juris civilis vocatæ essent; cum etiam rudes legum homines naturaliter acceptum habeant id, quod eis non est solum, fictionem hanc non ex lego scriptâ, sed prudentiâ sibi connatâ, promentes.
 5. *Forma* acceptilationis debetur juri Romanorum proprio, ut, quod fieri debeat 1.) *Inter presentes.* 2.) *Verbis, & quidem solemnibus.* 3.) *Tanquam actus legitimus,* non ferens diei nec conditionis appositionem, nec procuratorem; *Virtutis* quoque ad solas *verborum* obligationes extinguendas restrictio ab ejusdem juris placito descendit, propter quod inventa est *Aquiliana stipulatio*.
 6. Sed ipsimet Romani *viâ obliquâ* pacti, vel *doli mali exceptione,* solemnitates, & scrupulositates ejusmodi circumibant. l. 5. ff. de rescind. vendit. L. 19. princ. ff. de acceptil.
 7. Unde meritò Germani, & aliæ gentes, explorato eatenus *jure civili Romano,* servant acceptilationem in terminis simplicibus *juris naturalis,* vulturam ad agendum, etiam si nudo pacto fiat, inter absentes, sub conditione, aut die, per me, vel alium loco meo, ad tollendas, absque medio stipulationis *Aquiliana,* obligationes cujuscunque nominis & generis.
 8. Sanè, quod Ulpianus in l. 19. ff. de acceptil. interesse dixit inter acceptilationem civilem, & *apocham,* illud quoque dicendum de acceptilatione naturali; hæc enim, *fingendo solutionem,* liberat; *apocha* autem *solutæ* verè *pecunie* professio est.
 9. Non errant tamen (quod putat Faber in Cod. Lib. 4. tit. 22. defn. 1. not. 2.) interpretes, vulgò existimantes, *nequidem acceptilationem valere, quam creditor pro- bet à se factam spe futuræ numerationis.*

EX JURE CANONICO.

Continuatio Tit. XXXVIII. Libri V. Decretalium.

XXIX. *Jurisdictionis defectus in presbytero* facit, ut dictum supra, *Sacramentum nullum, * non quasi radix, & principium potestatis* deesset, sed, quia deficit *missionis conditio,* sine quâ potestas non est expedita. **

* Trid. Sess. 14. cap. 7. *Quoniam igitur natura, & ratio* iudicii illud exposcit, ut *sententia in subditos duntaxat feratur, persuasione SEMPER in Ecclesiâ Dei* fuit, & *verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti* absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem *ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem:* hanc Concilium, *ibid. cap. 5. vocat potestatem clavium remissionis, aut retentionis peccatorum.*

** Jurisdictio datur presbytero in se completè jam tum per ordinationem, non ab homine, sed à Deo immediatè; sacerdos enim, ut *Trid. Sess. 14. cap. 6.* docet, **PER VIRTUTEM SPIRITUS S., IN ORDINATIONE COLLATAM**, tanquam Christi minister, functionem remittendi peccata exercet. Adde *Sess. 23. cap. 1.* & eandem *de Reform. cap. 15.* Missio Episcopi, ultra presbyteralem characterem ad valorem absolutionis requisita, est *conditio* exercendæ jurisdictionis, non *causa* dans absolvendi potestatem, sed assignans tribunal pœnitentiale, & pœnitentes. Unde nec opus est eâ in casu repentino, sed necessitate urgente unusquisque presbyter absolvet vi sui ordinis.

XXX. Hæc judicandi peccata & peccatores potestas aut *ordinaria* est, aut *delegata* ab eo, qui pollet ordinariâ. *Trid. ubi supra.*

* Applica hic regulas juris civilis de *externâ fori jurisdictione*, quæ pariter vel *ordinaria* est, vel *delegata*: hæc vel *universim mandata*, vel *cum limitatione vicis*, aut *personarum data*, & vocatur *delegata in specie*. Sic parochus habet *ordinariam*, vicario suo dat *mandatam*, presbytero alteri, pro die e. g. patrocinii, dat ipse, vel ejus vicarius *delegatam*, delegatus autem nulli.

XXXI. Episcopus, mittens presbyterum ad exercendum istud animæ judicium, *reservat sibi plerumque speciales casus*, i. e. certa peccata,

* quibus intellectis remittet missus pœnitentem, vel ad ipsûmet Mittentem, vel ad Pœnitentiariorum, quos ille constituit, pro absolutione.

* *Magnopere verd ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non à QUIBUSVIS, sed à SUMMIS duntaxat SACERDOTIBUS, absolverentur.* *Trid. Sess. 14. cap. 7.* Major enim horror ab ejusmodi peccatis incutitur, quorum absolutio non passim obtineri potest; & vel ided cum *Van-Espen J. E. U. part. 2. tit. 6. num. 25.* censeo, reservationes frustrari sine suo, si facultas absolvendi à reservatis presbyterorum multitudini communicetur. Sanè, nec unusquisque parochi cooperatores, nec quivis regularis, minùs adhuc neo-confessarii, deberent eam accipere; imò nequidem ubique omnes accipiunt parochi. *Concilia Cameracensia*, inde à Sæc. XIV. celebrata, distinguunt casus *soli Episcopo reservatos*, casus *Pœnitentiarii per Decanatus constitutis* ad absolutionem commissos, & casus *Curatis, & eorum vices gerentibus deputatos*, ita, ut hi postremi à paucioribus, medii à numero pluribus, non tamen omnibus, Episcopo reservatis solvere possint. *Concilia German. Tom. 4. pag. 68. & lege pag. 66.* Hartzheimii Editoris notam de continuatâ praxi hujus gradatim descendentis potestatis.

XXXII. Summorum Sacerdotum potestas, arctandi inferioribus presbyteris facultatem, ne peccatores certos absolvan, contra hæreticos

cos Sæc. XV. & XVI. passim à nostris vindicata est; cum Episcopi à Christo acceperint primas partes in *retinendis*, & remittendis peccatis. *

* *Benedictus XIV. lib. 5. de Synodo diœces. cap. 4. num. 1.*, præter alios DD. allegatos, remittit ad celebrem Sæc. XV. Sæ. Theolog. Doctorem *Thomam Waldensem*, Anglum, Ordinis Carmelitarum Provinciale, ab Angliæ Regibus ad Concilia generalia, Pisanum, ac Constantiense, missum, qui *Tom. 2. de Sacramentis cap. 149.* sic exorditur: *Reservationes casuum fieri in honorem Dei, & ultionem criminis Dei, vel læsæ Majestatis, omnis piè sentiens arbitratur.* Sed *Wicleff de Confess. cap. 5.* „ per Diabolum, & Anglicos, inquit, hodie praticatur, quod primò, „ reservatâ absolutione notati criminis Romanæ Curia, mittuntur bullæ, quod „ homines possent domi absolvi: *sequitur* (in eodem Wicleffo) sed monoculis est „ satis cognitum, quod ista reservatio absolutionis ad Curiam est contra charitatis „ regulas fundata: & *de sermone Domini in monte cap. 13.* „ Diabolus, inquit, „ docet, quod potestates absolvendi à peccatis talibus per suum Vicarium restrin- „ gantur. Contra quem calami hæretici furorem *Waldensis* ex S. Augustino, & aliis probat, quod J. C. summam potestatis suæ in remittendis criminibus Successori Petri remanere decreverit. Adducit factum S. *Ambrosii*, qui solus Theodosium Imp. ob cædem Theffalonicensium ad pœnitentiam publicam coram Ecclesiâ duxit, & absolvit; nec non S. *Cyprianum*, qui sibi soli reservavit lapsorum exomologesin, inferioribus tantùm in casu necessitatis commisit: quæ saltem peccatorum *publicorum* pœnitentias, & absolutiones *publicas* probant majoribus Sacerdotibus jam olim fuisse reservatas. Si *publica universim*, quidni & *secreta in certis* reservari potuerunt, cum utraque potestas fluat ex eodem Evangelii fonte? Exhibet præterea loc. cit. *Benedictus XIV.* demonstrationem *Henrici VIII*, Angliæ Regis adhuc Catholici, contra Lutherum in extenso istam: *Episcopus, qui curam habet totius diœcesis, si cui Sacerdori partem quampiam suæ curæ commiserit, annon ipsa ratio docet, hunc non amplius aut ligare posse, aut solvere, nisi quatenus ille permiserit, sine cujus mandato nihil omnino in illius populo, vel ligare quenquam, vel solvere potuisset? Quid ergò miri est, si qua sibi reservat Episcopus, quorum curam putat esse majorem, quam ut cuilibet possit, etiam non imperito, committi? Confer Trid. Sess. 14. cap. 7., & nota anathema Canonis II. *ibid.* damnantis eos, qui dixerint, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam potestatem, atque idèò casuum reservationem non prohibere, quod minus sacerdos à reservatis verè absolvat. Adde retrò Thefin XX. not. 1.*

XXXIII. Sed epocham, quâ tum *Romanus Pontifex*, tum *alii Episcopi*, sibi etiam *occulta* peccata reservare cœperint, pro certo figere non audeo. *

* Equidem *Van-Espen J. E. U. part. 2. tit. 6. cap. 7. num. 6.* *Episcopales* reservationes deducit ab administratione pœnitentiæ *publicæ*, credens post *Morinum*, huic omnia peccata *graviora*, etiam *occulta*, usque ad finem Sæculi VII. aut initium VIII.

VIII. subjecta fuisse: Cùm itaque Episcopi darent regulariter soli pœnitentias publicas, eisdem consequenter peccata graviora extitisse reservata, etiam si fuerint secreta; Eandem reservationum derivationem videtur loc. cit. facere Waldensis, ubi adducit textum S. Ambrosii lib. de pœnit. in fine: *Si quis, OCCULTA crimina habens, PROPTER CHRISTUM tamen studiosè pœnitentiam egerit, quomodo istic recipit? Si enim communio non refunditur, nolo veniam reus speret, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi torius fletibus, ut ignoscatur ei, obsecret; & cum secundò & tertio fuerit dilata communio, credat se remissius supplicasse; fletus augeat, nec dimittat, .. Cognovi, quosdam in pœnitentiâ sulcasse vultum lacrymis, exarasse continuis fletibus genas, stravisse corpus suum calcandum omnibus, ore semper pallido, & mortis speciem spiranti in corpore prætulisse. Verùm hoc assertum de peccatis gravioribus occultis publicè expiandis ex necessitate præcepti incertum est, quidquid peccatores ex spontaneo pœnitentiæ spiritu propter Christum sæpè egerint. Nec plus evincit Origenes, à laudato Waldensi citatus, homil. 8. in Levitic. Siquid est capitis delictum, i. e. si in Deum aliquid commissum est, si in fidem peccatum est, ne hæc quidem habeantur obrecta, sed omnibus publicentur, ut interventu, & correctione omnium emendetur, & veniam mereatur. Respice Thein XIV., ibique in not. I. Regnum, ubi adhuc Sæc. X. similis habebatur admonitio, quin tamen necessitas præcepti esset. Idem Regino in toto suo pœnitentiæ nullum casum, secreta confessioni subiectum, ponit, super quo minor Confessarius pœnitentem ad Episcopum, aut ejus majores pœnitentarios, pro confessione, & absolutione mittere debuisse.*

XXXIV. Progressus harum reservationum videtur iste fuisse, ut præcesserint Papales reservationes, primùm ultroneæ, ab ipsismet Episcopis factæ, secutæ sint eas authoritativæ, quas fecit Papa consentientibus Episcopis, sive in Concilii decreto communi, sive extra Concilium per acceptationem reservationum. *

* Reservationes, quæ Sedi Apostolicæ fiebant, dividi possunt, consideratione Episcoporum, in arbitrarias, sive ultroneas, & in præceptas. Hæ non comparent ante Sæc. XII. Sanè non legitur reservatio de præscriptis, ac præceptis antiquior illâ, quam cum Papâ Innoc. II. primùm statuit anno 1131. Concilium Remense, postmodum quoque an. 1139. Concilium Lateranense II., & refertur à Gratiano in can. Siquis suadente 29. XVII. q. 4.; quanquam negari non possit, quòd jam anteriora extent exempla peccantium Roman pro absolutione ab Episcopis liberè missorum, de quibus Thomassin V. & N. D. E. part. I. lib. 2. cap. 13. num. 1. ex Concilio Lemovicensi an. 1034. Van-Espen J. E. U. part. 2. tit. 6. num. 9. Benedictus XIV. de Syn. lib. 5. cap. 4. num 3. propè fin.; ubi notat, non esse verum, quod asserit Van-Espen, non ante Sæculum XI. cepisse Episcopos graviorum quorundam criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere, ut à Pontifice reconciliarentur; siquidem ex lib. 3. de gestis Ss. Rotonenis cap. 1. Sæculo IV. Benedictino constat, ante annos circiter nongentos (Sæculo proinde IX.) homicidas ad Papam fuisse remissos. Martene de antiq. Eccles. ritib. Tom. I. lib. 1. cap. 6. num. 6. XXXV.

XXXV. In Collectione novissimâ Colon. Conciliorum Germaniæ occurrunt modò Sæculo XIII. casus *Papæ reservati*, omniumque primò in Conciliis provincialibus, *Trevirensi* an. 1227. sub Archiep. *Theodorico*, Comite *Wedano*, quod habitum est in *Ecclesiâ S. Mariæ majoris, zu Lieben Frauen*, juxta Metropolitanam; * & *Fritzlariensi* de an. 1246. sub *Sigefrido III.*, Barone ab *Eppenstein*, Archiep. *Moguntino*. **

* Statuto IV. Item nullus sacerdos præsumat absolvere aliquem existentem reum in casibus pertinentibus ad DOMINUM (supple: Papam, vel Apostolicum) vel EFUS LEGATOS, nisi cautione idoneâ, vel satisfactione præcedente, vel in articulo mortis. Primus casus est de illo, qui verberat Clericum; vel Religiosum. Secundus casus est de illo, qui incendit Ecclesiam, & est denunciatus excommunicatus ab Episcopo. Tertius casus est de illo, cum quis frangit Ecclesiam, & similiter est denunciatus excommunicatus ab Episcopo. Quartus casus est de illo, qui scienter & sponte communicat excommunicato à Domino Papâ, & eos recipit in officiis divinis. Quintus casus est de illo, qui falsificat literas Domini Papæ. Sextus casus est de illo, qui communicat aliter excommunicato à Domino Papâ, intermine (lege: intellige) scienter impendendo ei consilium, auxilium, vel favorem Concilia German. edition. Hartzheimii Tomo III. pag. 528. ex Bibliothecâ Abbatia Trevir. ad S. Mathiam, ubi eò usque ineditum latuerat.

** Fritzlariense can. IV. Sunt autem TRIA peccata, quæ in SATISFACTIONIBUS INJUNGENDIS sunt Domino Apostolico reservanda, scilicet, in Clericos & quoscunque Religiosos injectio manuum violenta; ecclesiarum vel religiosorum locorum incendia; & Simonia in ordine perpetrata. Collect. Hartzhemiana ibid. pag. 572. Eadem tria reservata Papæ repetuntur in Concilio Moguntino an. 1261. sub Archiepiscopò *Wernhero*, Comite à *Falckenstein* can. VIII. Sciatur autem TRIA peccata, quæ in satisfactionibus injungendis sunt Domino Apostolico reservanda, scilicet in Clericos, & reliqua, ut mox supra. Ibid. pag. 598. Adhuc an. 1491. *Henricus III.* Bamb. Episcopus in Statutis synodalibus tit. 58. post 36. casus sibi reservatos, exemplo Moguntini Concilii tres Papales sic proposuit: Noverint autem presbyteri, fore TRIA peccata, quæ in satisfactionibus injungendis sunt DOMINO APOSTOLICO reservata, videlicet in clericos vel quoscunque religiosos injectio manuum violenta ENORMIS, ecclesiarum vel religiosorum locorum incendia, & Simonia in ordine constituto celebrata. Postea tit. 61. excommunicationes majores à jure latis prolixè recenset, nempe ex jure veteri in Decreto & Decretalibus 28., ex Sexto 32, ex Clementinis 51., quos inter tantum 23. 37. 38. 42. 47mum absolutioni summi Pontificis reservatos esse monet. Apud de *Ludwig* Scriptor. Bamb. Tom. I. pag. 1264. Casus illi in Clementinis habentur, 23tius in Clem. 1. §. 4. de heret. 37mus in Clem. 1. princ. de privil. 38vus in Clem. 1. de pen. 42dus in Clem. 3. eod. 47mus in Clem. 2. de sent. excom. Omisit autem Extravagantium reservationes publicare, licet jam respectivè ab *Urbano IV.* an. 1262, à *Martino IV.* an. 1281, à *Bo-*

à Bonifacio VIII. an. 1300, à Sixto IV. an. 1483. factas, argumento, Episcopos non acceptasse quoslibet casus à Papâ reservatos.

XXXVI. Fæctâ comparatione casuum, quos *duæ istæ Germani Imperii illustres Provinciæ* Papæ reservari voluerunt, apparebit *Episcoporum libertas* in acceptandis, vel publicandis casibus Apostolico reservandis, vel non; nam

1) *Moguntina, & Trevirensis provinciæ*, annis 1227. 1246. 1261. (cùm essent Decretales Gregorii IX. jam an. 1230 publicatæ) convenerunt tantum in duobus casibus Papæ reservandis, primo videlicet & secundo, quorum prior jam erat in Decreto Gratiani clausus *can. 29. XVII. q. 4.*, alter autem non; neque enim *can. 32. XXIII. q. 8.*, qui est Concilii generalis Lateranensis II., constituit, *incendiarium* à solo Papâ absolvi posse, imò contrarium; hoc autem sanxit modò dictum Lateranense, a) Ne incendiarius absolvatur, nisi prius, damno, cui intulit, secundum facultatem suam resarcto, juret, se ulterius ignem non appositurum: b) Pœnitentiæ ei detur, ut Hierosolymis, aut in Hispaniâ in servitio Dei (id est, in militiâ sacrâ contra Turcas & Sarracenos) per annum integrum permaneat: id quod pridem cessavit: c) Si quis autem Archi-Episcopus, vel Episcopus hoc relaxaverit, *dammum restituat, & per annum ab officio episcopali absteineat.* Sola igitur pœnitentiæ conditio tunc reservabatur. Sed anno 1190. Clément III. Papâ, ab ignoto Episcopo consultus, an ii soli sint ad Sedem Apostol. destinandi, qui in *lata sententiæ* canonem incidentes manus in clericos injiciunt violentas, in *cap. 19. de sent. excom.* respondit, quòd non solum ii, qui in clericos temerarias manus injiciunt, sed ETIAM INCENDIARIUM, ex quo sunt per ecclesiasticam sententiâ PUBLICATI, pro absolutionis beneficio ad Sedem sive Apostolicam destinandi. Cùmque ista papalis decilio *Compilationi Decretalium secundæ*, quæ per Joannem Galentem, vel Galensem circa annum 1202. edita, usûque approbata fuit, sub *cap. 8. de sent. excom.* inserta existeret, atque ecclesias eò validiùs contra incendiarios muniret, agnoverunt eam dictæ Synodi provinciales. Discrimen tamen inter primum & secundum istorum casuum Papæ reservatorum est 1.) quòd Clerici percussio excommunicationem *lata sententiæ* reservatam ipso facto inducat; incendiarii verò crimen excommunicationem ferenda duntaxat, ut rectè notavit E. Gonzalez in præd. cap. 19 num. 3. contra communem ferè tunc interpretationem: Aliud 2) est discrimen, quòd clerici percussor, etiam non denunciatus, casu papali innodetur; incendiarius non priùs, quàm sit ei crimen in foro externo probatum, subsecutâ excommunicatione, ejusdemque PUBLICATIONE. Tenebantur aut in Ordinarii per *d. can. 32. XXIII. q. 8.* incendiarium excommunicare, quin addatur: atque publicè denunciare excommunicatum, sicque conditionem, sine quâ casus Papæ reservatus non incurritur, ponere, ut sine textu docet Gonzalez. Quapropter Theodoricus noster in altero suo Concilio provinciali an. 1238. sic ordinavit: *Cum autem ipsi incendiarii absolvi non possint post publicationem, nisi à Papâ, Nos expensis & laboribus parcere volentes, statimus, ut nunc denunciationem hoc ipsis intimeret, videlicet, quòd, nisi satisfecerint, ad Papam*

eos oporteat laborare, ut sic territi ad satisfactionem facilius inducantur. Histor. diplom. Trevir. Tom. I. pag. 720.

- 2) Concilium *Trevirense* in duobus casibus permittit sacerdoti absolutionem à sex casibus Papæ reservatis 1) *Cautione idoneâ vel satisfactione præcedente*, 2) *in articulo mortis*: secunda exceptio hodieque manet, prima verò non; interim ostendit potestatem Concilii provincialis *limitandi casus Papæ reservatos*. *Moguntinum* non misit ad Apostolicum *pro absolutione*, sed *pro satisfactionibus injungendis*: repedantes Româ cum literis, impositam à Papâ *satisfactionem continentibus*, absoluebantur à mittente, illâ domi præstitâ. *Thomassin. V. & N. D. E. part. I. lib. 2. cap. 13. num. 1.* versu: *Ivo Carnotensis*, & num. 3. scribit: *ut plurimum Pontifex penitentes ab Episcopo proprio absolvi remeantes jubebat*. Et extat illustre exemplum in *can. 15. XXXIII. q. 2.*, ubi *Nicolaus I. Papa* circa an. 862. remisit *Theohartum* quendam matricidam ad *Rudolfum Episcopum sanctæ Argenteæ ratensis* (ut habent duo Codices MSS. bibliotheca S. Simeonis Trevir.) i. e. *Argentoratensem*, dictum quoque *Ratoldum*, qui miserat eundem pro accipiendâ, domique exsolvendâ penitentia Roman: ex hoc rescripto *Nicolai postmodum Conc. Wormatiense an. 868.* desumpsit suum canonem 30. Integram & à variationibus *Gratiani restitutam Nicolai epistolam edidit Berardi Taurin. partis 2. tomo. 2. pag. 336.*, ubi simul annotationes *Baluzii*.
- 3) Dictum *cap. 19.* crimen incendii *cujusque reservat generaliter*; prædicta autem Concilia *restrictim*; ac *Trevirense* quidem incendium *Ecclesiæ*, *Moguntinum* amplius *Ecclesiæ, & religiosorum locorum*; neutrum *alterius profanæ domûs*. Senferunt ergò hæc Concilia, *se Decretalibus Papæ epistolis hætenus non obligari, ut jacebant*, sed posse reservationum modificationem facere, imò verò planè eas non acceptare, id quod discrepantia duorum istorum Conciliorum demonstrat, nam, *tertium, quartum, quintum, sextum casus Papæ reservatos*, quos acceptârunt cum modificatione Patres *Trevirenses*, omiserunt *Moguntini*: hi ultrò suum tertium casum duxerunt Papæ reservandum, non duxerunt illi. Pari libertate Synodus dioecæsana *Wirceburgensis* anno 1298. can. 15. tantùm tres excommunicationes Papæ reservatas ponit: *sciendum est, quòd excommunicati sunt ipso facto, qui in clericos, vel religiosos personas manus injiciunt violentas, incendiarii coemeteriorum, & Ecclesiarum, & qui literas Domini Papæ falsant, vel ad hoc adminiculum parant, vel etiam falsatas apud se sciener ultra XV. dies servant, vel falsis utuntur, etiam ignoranter, si grassa sit ignorantia, & supina. Item excommunicati sunt per Episcopum &c. & sequuntur casus huic reservati. Hartzhemiana Coll. Tom. 4. pag. 29.*
- 4) *Tertius casus à Trevirensi Concilio Papæ reservatus est infractio Ecclesiæ*; in sequelam *Cap. 22. de sent. excom.*, seu *cap. 11. Compilationis secundæ*, addito autem: *& est denunciatus ab Episcopo*; quanquam textus ille positivè mandat sic: *quatenus, si ira est, memoratos sacrilegos excommunicatos nuntietis, & faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec... cum literis vestris... Apostolico se conspectui repræsentent*. Non constat, ad quos *Clemens III.* hoc rescripserit, an ad Ordinarios,
an

an verò ad delegatos; quæ ratio esse potuit, quòd Provincia Moguntina istum casum non adoptarit, manens in terminis *can. 107. XL. q. 3. can. 5. & 21. XVII. q. 4.*

- 5.) *Quartus casus erat in cap. 7. secundæ compilationis clausus, extatque in cap. 18. de Sent. excom., & est ejusdem Clementis, quin sciatur, ad quos datum fuerit hoc rescriptum de excommunicatione majore Papæ reservatâ ob communicationem cum excommunicato. Ad hanc Gonzalez num. 4. rectè postulat 5. condiciones copulatas, nempe 1.) Quòd Papa excommunicaverit, non alius; 2.) Quòd clericus communicet, idque 3.) In divinis, & 4.) Cognitâ excommunicatione, 6.) Sponte, monens, cavendum esse à Glossâ fin. hic falsò asserente simpliciter, & generaliter, eum, qui communicat cum excommunicato à Papâ, incurrere majorem excommunicationem.*
- 6.) *Quintus casus prostat in cap. 4. §. adjicientes de Crim fals., quod est cap. 1. Compilationis tertiæ, sive Innoc. III. primæ, cujus (non Innoc. II.) Decretalis epistola est, data 19. Maji 1198. anno Pontificatûs ejus primo. Previloquium nostri Concilii explicabitur relativè ad hunc fontem, ubi Innoc. III. Remensi Archiep. & Suffraganeis ejus ita rescripsit statuens, ut generalem excommunicationis sententiam promulgetis, quam per singulas parochias faciat frequentius innovari, quòd si quis falsas lueras se habere cognoscit, intra viginti dies lueras illas aut destruat aut resignet (i. e. reddat) si penam excommunicationis velit evadere, quam (nisi forte in mortis articulo) sine speciali mandato nostro à quoquam solumus relaxari; nec etiam, si præsumpta fuerit contra hoc absolutio, quidquam habeat firmitatis. Notetur essentialis conditio publicandæ per parochias sententiæ excommunicationis ex nuncpro tunc: cum itaque sententiæ istæ generales hodie non publicentur, non incurreret etiam reservatio Papalis, neque excommunicatio; quia canon hic non excommunicat se solo, & ipso jure, sed mediante SENTENTIA GENERALI per Ordinarios locorum promulgandâ, & frequentius innovandâ.*
- 7.) *Sextus denique casus nititur principio: qui IN IPSO CRIMINE communicat excommunicato, is eadem imodatur excommunicatione, debetque absolvi ab illo, qui tulit eam, cum delinquere videatur in eum, qui tulit. Cap. 29. & 55. de Sent. excom., quorum prius est Innoc. III., & habetur in cap. 3. tertiæ compilationis. Hæc excommunicatio major ipso jure, & facto incurritur, sicuti minor excommunicatio; cum, ut ait d. cap. 29., non JUDICIS, sed JURIS sententiâ excommunicato communicatus sit ligatus.*
- 8.) *Provincia autem Moguntinæ tertius casus, eâ jam ætate reservatus Papæ, nempe Simonia in ordine perpetrata, non reperitur in Corpore Juris, aliâve Decretali illius temporis, à Pontifice Romano jam tum sibi fuisse reservatus: Unde concludendum, quòd Moguntinum Concilium suâ sponte illum reservaverit ad magis cohibendas Simoniacas ordinationes: seriùs, nempe modò anno 1464, successit reservatio Pauli II. in Extrav. 2. de Simon., nec non anno 1588. Constitutio Sanctum 91. Sixti V.; quæ quidem eætenùs non fuit revocata per Clementis VIII. Bullam: Romanum 40. de an. 1595., licet hæc cateroquin Sixtinam eâ terminos juris communis, & constitutionis Pii II. Cùm ex sacrorum redlexerit, ut rectè*

notavit *Schmalzgrueber* ad tit. de *Simon.* num. 297; non potuit nihilominus Sixtina derogare facultati, quam dedit Episcopis Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6. de *reform.*

XXXVII. Increverunt post sæc. XIII. usque huc excommunicationes, quas reservârunt sibi summi Pontifices, tum in *Sexto*, *Clementinis*, & *Extravagantibus*, tum in *Bullario Romano*, præsertim *Bullâ Cæne*, ut longum esset universas recensere; * *sed absque uniformi nationum acceptance* **

* *Adi Archdekin* Theol. tripartite part. 3. tract. 2. cap. 4. *La Croix* Theol. mor. lib. 7. dub. 4. art. 3. *Henno* tract. de poenit. disput. 8. quaest. 8. art. 2. *Schrodt* tract. de cas. reservat. Wirecb. an. 1732. edito, auctore *Casparo Arnaldo Baum* Ss. Theol. D.; quorum post facta superstes memoria mihi pia est, hujus quidem mei in Seminario Subregentis, doctissimi viri, dein in Vicariatu generali Wirecb. college, Canonici & radicatis in Haug, Consilarii Ecclesiastici, ac demum intimi; illius verò utpote synthaumasi mei, postea parochi Aubani, in flore juventutis anno 1740. febri grassante malignâ, quam à moribundis contraxit, ovili suo abrepti.

** Agnoscamus cum omnibus Catholicis doctrinam Conc. Trid. Sess. 14 cap. 7. Meritò **PONTIFICES MAXIMI** pro **SUPREMA** potestate, sibi in Ecclesia universalis tradidâ, causas **ALIQVAS** criminum graviores suo potuerunt iudicio reservare. Quibus autem accedentibus requisitis potestas hæc se se exerat, Tridentinum non expressit: si suprema illa potestas sit *monarchica*, non desiderabit Episcoporum consentum, secus, si non sit. *Aliquis*, ait S. Synodus, non tot, quot volet Pontifex, M., ita, ut ex reservationibus fieret quasi clausula ordinaria constitutionum Apostolicarum, multiplicatione illarum nimâ successivè tandem resoluturâ. Ille profectò reservationum originarius finis, nempe molestum iter Romam, indèque reportanda in scriptis, atque in partibus implenda poenitentia, extra usum est; postquam tot ubique Confessarii Regulares, præter Episcopos, habent potestatem absolvendi ab his casibus. Alius quoque finis cessat, quem prædictus *Thomas Waldensis* his verbis refert: pauci tamen advertunt, quæ sit causa reservationis casuum in delictis **AD PRIMAM SEDEM**; est enim præter alias **CAUSA MAXIMA**, ad **EXAMINANDUM**, & tunc ad **JUDICANDUM MAGNUM SCELUS**, quod committi contingit in Deum; hoc enim non nisi in publicâ Ecclesia apud Prælatum & Clerum vel confiteri expedit, vel puniri.

XXXVIII. Sunt autem causæ, ex quibus cessant reservationes *Papales*. 1.) Si *Bulla* non fuerit *per diœcesim promulgata*. * 2.) Si non fuerit *recepta*. ** 3.) Si *excommunicationis*, quæ reservationis sub-

substratum est, *sententia*, citra affectationem, fuerit à peccatore, dum peccavit, *ignorata*. *** 4.) Si *jus ipsum* concedat Episcopis absolutionem casuum de per se Papæ reservatorum. ****.

* Quidquid sit de aliis constitutionibus Romani Pontificis, *cenfuram non continen-* tibus, an sufficiat eis sola Romæ facta publicationis solemnitas; quæ affirmativa opinio hætenus desit esse crebrior in academiis Germaniæ nostræ, in Gallicanis planè exulat; saltem communiùs requirunt DD. ad *excommunicationes reservatas Papæ* incurrendas, ut ejusmodi bullæ sint ab *Ordinariis locorum* publicata. Arg. cap. 13. de *pœnit.*, ubi Concil. Lateran. IV. jubet medicos, ut priùs, quàm ad corporalem medicinam procedant, aure omnia moneant, infirmo de spiritali salute, & medico animarum provideri debere, sub pœnâ interdicti ingressûs in ecclesiam in transgressores, *postquàm illa constitutio per Prælatos locorum fuerit publicata*. Si tantùm hæc species minima excommunicationis conditionem publicationis istius appositam acceperit, quantò plùs *maxima*!

** Nota sunt constitutionum Papalium fata: multa Regna & Status requirunt ad earum vim obligandi fideles *seculare Placitum*, ut Gallia, Belgium, Venetia &c., quod sæpè denegatur novis constitutionibus; quas neque tunc vigorem habere, multi docent, si Episcoporum consensus, expressûs vel tacitus, non accedat. Improvidè tunc ageret confessarius, si ipse in secreto confessionis urgere vellet reservationes casuum in publico non receptas.

*** Etli in regulâ ad committendam delicti pœnam non sit opus, ut eam noverit delinquens, sed sola criminis conscientia sufficiat; communior tamen doctrina excipit *confessas*; in his enim non est satis, quòd peccans sciat, se malè ac punibiliter agere, sed necessum est præterea, ut noverit *cenfuræ contrabendæ comminationem*, sibi vel à canone vel ab homine factam, per textum Innoc. I. antiquissimum relatum in *cap. 2. dist. 82. verbis fin. post admonitionem*. Adde *cap. 2. de Constit. in 6. ut animarum periculis obvictur, sententiis, per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligare nolumus IGNORANTES*. Nec non *cap. 48. princ. de sent. excomm. ex Concilio Lateran. IV. Cap. 5. & 9. eod. tit. in 6. ex Lugdunensi*: nempe ad incursum cenfuræ non sufficit illa communis obedientiæ intermissio, quæ inest omni peccato, sed requiritur *singularis & obstinata*, quæ vocatur *contumacia*, exigique præcedentem *monitionem competentem*, judicis quidem *iriam*, canonis autem *unam*, utpote quæ semel legentem vel audientem semper pergit monere. Hinc *Instructionale Romano-Bambergense an. 1725.* rudiè practicabilem dedit doctrinam istam: *Non est, quòd in tantâ reservationum Papalium multitudine animus despondeat, & absolutionis impertita, aut impertiendæ nullitatem timeat Confessarius; quemadmodùm enim scientiam Confessarii, etiam docti seduli ac prudentis, multæ ejusmodi reservationes fugiunt; ita, plurimæ pœnitentem, qui eo ipso, quòd cenfuram Papalem, ejusve reservationem ignoret, non tantùm nullam cenfuram, sed neque ullam reservationem, OB CONTUMACIÆ DEFECTUM, incurrit; ignorans enim nequit esse contumax; Accedit, quòd PLERÆQUE reservationes Papales, sicut in his partibus specialiter per dioceses singulas NON PUBLICANTUR,*

ita probabiliter vel NON RECEPTÆ videantur, vel ABOLITÆ, aded, ut sacerdos, saltem in absolutione pro foro interno (quidquid sit de externo) absque animi scrupulo tutus procedere possit, ex Schrodt de casib. reservat. part. 2. §. 1. num. 5.

Additio: Doctrinam receptam de ignorante, casum Papæ esse reservatum, sic accipio, non, quasi peccans scire debeat reservationem, sed, quod excommunicationem, aliamve censuram, cui reservatio inmittitur velut basi columna; rota enim ratio incurrendi hujus casus reservati est *consummatio*; hæc adest, simul atque cognoscitur à peccante *monitio comminatoria* canonis vel hominis; sive quis sciat reservationem, sive nesciat. Et quoad hoc postremum par causa est reservationum *Papalium, & Episcopatum*, ut non sit opus notitiâ reservationis; dispar autem, quod omnes casus reservati *Papales* habeant substratam sibi censuram, non autem omnes *Episcopales*, imò paucissimi, ideoque & hos incurrit ille, qui casum suum reservari ignorat.

*** Trid. Sess. 24. cap. 6. de reform. *Liceat Episcopis in QUIBUSCUNQUE casibus occultis, ETIAM SEDI APOSTOLICÆ RESERVATIS, delinquentes QUOSCUNQUE, sibi subditos, in diocesi suâ, per se ipsos, aut Vicarium ad id SPECIALITÆR DEPUTANDUM, in foro conscientie, gratis absolvere, impositâ penitentia salutari.* Hæc potestas, à canone generalis Concilii data, par est *ordinarie*, consequenter (excepto ibidem solo *hereseos* crimine) vices gesturis & *mandari*, potest, & *delegari*. Neque, sive *bullæ Coenæ*, sive *alia*, eandem invitis Episcopis restringere potuit. Quod minus est, aut esse videri posset in Concilio Tridentino, hoc suppleant *facultates quinquennales*, concedi à Papâ solitæ Episcopis, & nonnullis eorum in Pontificalibus Vicariis generalibus, ad quinquennium; quarum *prima* est, *absolvendi ab hæresi, & apostasiâ à fide, & à schismate* quoscunque, *etiam ecclesiasticos, tam sæculares, quàm regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impunè grassantur hæreses, deliquerint, nec illos, qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur hæreses, & post judicialem abjuracionem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, & hos in foro conscientie tantum; & decima: Absolvendi ab omnibus casibus reservatis, etiam IN BULLA COENÆ, in locis tamen, ubi impunè grassantur hæreses; unâ cum vigesima: Communicandi has facultates in totum, vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis, in conversione animarum laborantibus. Ex quibus duobus facultatum generibus Tridentina est *ordinaria*, consequenter sultulit eo ipso casus soli Papæ reservatos quoad privativam absolutionem: *Quinquennalis* autem, *mandata*, seu *universim delegata*, conservat quidem casum soli Papæ reservatum, sed cum potestate, inferioribus presbyteris absolutiones delegandi.*

CASUS CANONICUS.

Quidam, cum filios non haberet, nec speraret, res suas omnes (retento sibi usufructu) donavit Ecclesiæ: nati sunt ei filii postea.

teâ. Contigit Carthaginensi ecclesiæ sæc. IV. sub Episcopo S. Aurelio.

Q. 1. An donator ex capite supernascentium liberorum donationem revocare potuerit?

R. Affirm per can. ult. XVII. q. 4.

2. Quid si nec ipse, nec filii, revocassent, an Ecclesia res donatas retinere potuisset?

R. Cum S. Augustino loc. cit., potuisset; sed *jure fori* tantum, non etiam *jure poli jure celi* (optimi Codices MSti Graziani legunt cum uno bibliothecæ S. Simeonis Trevir. hoc enim jure non solum legitimam, sed etiam, quod istam excedit, ultrò debuisset restituere. Unde & hodie Prælati sine consensu Capituli sui non revocantibus totam restituere possent.

3. An hoc solum ex charitate, vel æquitate, & majore honestate, ut post Laymannum & alios notavit Engel ad tit. de donat. num. 18. ? R. Negat., sed ex justitiâ.

4. Quid, si quis, filio exheredato, Ecclesiam institueret heredem? R. Cum S. Augustino ibid: *Quicumque vult, exheredato filio, heredem facere Ecclesiam, querat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: imò, Deo propizio, nullum inveniet; quod ultimum tamen hodie nollem tam confidenter periclitari.*

EX JURE CIVILI.

AD TIT. XXII. LIB. III. CODICIS.

I. Jure Romano liber homo, possessus pro servo, qui ab eo, cui servivit, in aliam jurisdictionem fugit, ibidemque à prætendente illum domino repetitur, *constitit de possessione servitutis*, si petitorie libertatem vindicare velit, remittendus est ad locum, unde fugitive recessit l. 1. C. b. t.; *constitit autem de possessione libertatis*, vindicatio servi institueretur ibi, ubi consistit; utrumque ex principio: *actor forum rei sequitur*. l. 3. h. t.

II. Sed quid, si fugitivus iste possessorio domini opponeret *exceptionem* libertatis, an esset remittendus ad forum domini?

R. Si in continenti hanc posset liquidò adprobare, *negativè*, secus, *affirmativè*.

III. Habétne hoc jus usum in *homine proprio juris germanici*, qui possessorio servilis conditionis victus, suam à *mansipatu* libertatem

vindicare vellet? R. *Negat.*, quia moribus nostris forum *rei sitæ* est *exclusivum*; nisi possessor *actionem spoli* instituisset; tunc enim, resolutâ possessione incolatûs, aut civitatis, eoque magis nudâ alibi commoratione, præcisè remitteretur ad forum possessoris, ibidem in petitorio proclamaturus ad libertatem.

AD TIT. XXIII.

- I. *Curialis*, vel *cobortalis* homo, aut quibuscunque *Corpore* obnoxius, qui sub aliud territorium provinciæ confugit, poterat à persequentibus comprehendî, & re *coram loci iudice* manifestatâ, debuit suæ societati restitui. *l. 1. b. t. l. 39. & 54. de Decur.*
- II. Hoc interpretatio extensiva rectè produxit ad uxores, filios, monachos, aliósque religiosos, à patre, marito, monasterio, vel religione fugitivos: & *ita servatur de facto per religiosos contra eorum apostatas*, scribit Baldus *ad d. l. 1.*
- III. Quòd si iudex loci nollet extradere, compelli posset à superiore iudice per mandatum sine clausulâ.
- IV. *Excipe* in Germaniâ: nisi transisset religiosus ad aliquam *ex tolerantis* religionem; tunc enim *per externam tolerantiam* desineret esse obnoxius monasterio.
- V. *Jure gentium* verò turpe saltem est Domino loci, Superiorem non recognoscenti, illum monachum fugitivum, qui obnoxius manet, suo monasterio repetenti nole retradere.

AD TIT. XXIV.

- I. *Lex fin. b. t.*, sive *Zeno Imp.*, personas *illustres*, videlicet patricios, præfectos prætorio, vel urbi, aliásque ibi nominatas, in *criminibus*, publicis, privatis, à solo *Imperatore* voluit *condemmandas* fore, à sacro autem *Cognitore*, quem *Commissarium* dabit summus Princeps, *absolvendas* quidem, etiam hoc *inconsulto*, non verò *dammandas*. II.

- II. *Ultionis*, patefacto crimine tantis inferendæ dignitatibus, *modus* non nisi in Principis residebit *arbitrio*; qui proinde neutiquam tenetur ordinarias legum pœnas his dictare.
- III. *Istud Imperantis reservatum, & personarum illustrium privilegiatum forum* hodieque in Imperio Germaniæ renasit.
- IV. Nam S. R. I. Principes, Comites, Dynastæ, Status, & non-Status, dummodò sint *de Corpore immediatæ Nobilitatis*, super criminibus, in quibuscunque territoriis, sub Cæsare constitutis, *ex capite loci delicti* à solo Imperatore, ejusque Judiciò Imperiali aulico, judicari possunt, idquod plurima probant exempla.
- V. Salvâ jurisdictione concurrente Cameræ Imperii supremæ in causis *fractæ pacis publicæ*. *Ordin. Cam. part. 2. tit. 20. §. 2.*
- VI. Salvo quoque Comitiali Principum ac Statuum Imperii consensu in decernendam proscriptionem. *Capitulat. Ferdinandi III. art. 30., Caroli VI. & sequent. art. 20.*
- VII. Imperator, dum, *citra declarationem Banni*, in criminalibus judicat personam illustrem, non tenetur adhibere *Principes Imperii*, quanquam hoc sit decens, expediens, & olim usitatum.
- VIII. Sic dictum ergò *Jus Principum, Das Fürsten-Recht*, ut nempè Imperator in causis Principum, *corpus, & dignitatem, & bona eorum concernentibus*, non nisi *de Principum*, maximè *de sanguine* reorum criminis, *Consulto*, vel in *Cominis & Conventibus*, judicare possit, ne olim quidem fuit *pro lege*.
- IX. Ministros, & Officiales aularum, Comitum, Baronum, aut cujusvis Domini territorialis, sine extraditione judicare non possunt locorum Scabinatus, & sanguinis judicia.
- X. Quæ verò personæ *Illustrium* de classe non sunt, licèt essent *Clarissima*, privilegio fori non gaudent; cùm omnem hujusmodi honorem reatus excludat. *l. I. b. t.*

AD TIT. XXV.

- I. Omnis miles est militans, sed non omnis militans est miles.
- II. Milites habent Magisteriam Potestatem (hodie den Kriegs-Math) pro suo iudice, tam in criminalibus, quàm in civilibus l. 6. C. de jurisd.
- III. Sed, qui solùm sunt militantes, sive togatam duntaxat militiam exercent, ut Advocati l. 14. C. de Advoc. divers. judic. vel Agentes in rebus, i. e. negotiis publicis annonæ, vecturarum, cursûs, tributorum, aliorumque reddituum deputati Officiati; atque Agentes in sacris scriniis., qui chartas & literas tractant; sive arma solius custodiæ causâ gestent non ituri ad bellum, ut equites, & pedites domestici, die Leib-Wachten, conductores, die Geleits-Wachten, Zoll-Wachten, foro privilegiato in regulâ non gaudent. l. unic. b. t. Exceptiones vide in hac l. & l. 4. C. de agent. in reb.
- IV. Quæ moribus nostris partim resecta sunt, partim, dato foro speciali, abrogata.

AD TIT. XXVI.

- I. De rebus fiscalibus, publicis, privatis, iudicabant Procuratores Cæsaris, & his minores Rationales; quanquam usque ad Claudium Imp. meri essent administratores, æconomi, receptores, sine quavis jurisdictione.
- II. Iudicabant autem 1) lites civiles inter fiscum & privatos l. 1. 2. 5. h. t. 2) omnes Officiales sibi subalternos. l. 10. 3) omnes colonos, inquilinos, & servos rei dominicæ privatæ l. 7. b. t.
- III. Criminalis jurisdictio ipsis non competiit, nisi essent simul vice-præsides provinciarum, ut erat Pontius Pilatus Judææ. l. 3. 8. b. t.
- IV. Conductores etiam rerum Cæsaris iudicabant, sed præviâ relatione ad Comitem rei privatæ, virum illustrem l. 6. b. t.

- V. *Domorum Caesaris colonos, inquilinos, & servos in criminalibus & civilibus judicabat Præpositus sacri cubiculi, der Obrist-Cämmerer, unâ cum viro spectabili Comite domorum. l. ult. h. t.*
- VI. Hoc systema unâ cum Imperio Romano plurimum revolutum est; ita, ut nostris moribus neque sic nuncupatæ *Camera* Principum, penes quas est cura ærarii, rerumque eò pertinentium receptio ac dispensatio, nec Rationales ipsis subalterni, quos vocant *Cellerarios*, ullo gaudeant foro; nisi rarissimè in homines certos, qui *Cellerariæ speciali vinculo* tenentur obnoxii, ceu diurno domûs, culinæ, horti servitio vel olim vel adhucdum adscripti.
- VII. Si itaque hodie *causa Camerae, sive agentis, sive conventæ*, occurrat, judicatur illa vel per omnes instantias in *ordinariis* Principum *Dicasteriis*, etiam sui proprii Principis *Camera*, si ita res exigat, condemnaturis; vel agens contra *Camera* coram iudicibus à Principe dandis experietur *saltem primam instantiam*, appellaturus ad *Dicasteria Imperii*.

AD TIT. XXVII.

- I. *Ex l. i. b. t., ejusque principio: melius est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare, libera cunctis tribuitur facultas sine iudice resistendi populatori nocturno agrorum, etiam per occisionem, simul atque is intraverit agrum; latro quoque, si itinera frequentata insidiis aggressionis obsederit, mortem, quam minabatur, excipiat.*
- II. *Ad hanc licentiam verba non sufficiunt; neque enim lubricum lingue ad pœnam facile trahendum est. l. 7. §. 3. ff. ad Leg. Jul. majest.; sed requiruntur facta, ingressûs in agrum in parato habitis instrumentis ad depopulandum, aut obsessio viarum;*
- III. *Ex dato principio quicumque, in corpore suo periculosè invasus, non tenetur ab aggressore primum ictum sustinere, sed imminentem poterit propulsare, etiam, quatenus opus, occidendo. l. 3. ff. de J. & J. Nemesius Carolina art. 140.*

- IV. *Desertorem militiæ unicuique l. 2. b. t. permittit capiendo opprimere, & si resistat, occidere, atque sic devotionem publicam vindicare.*
 V. Hoc multi moribus nostris permittum esse negant; sed, si quidem istud, *etiam absque jussu Principis, ex devotione erga rem publicam* contingeret fieri, talem fore impunem censeo.

CASUS CIVILIS.

Actor in causâ, quam scit fore *incerti eventus*, eò quòd JurisConsulti super *questione juris*, facto ejus applicandi, sint *diversarum opinionum in thesi æquè probabilium*, explorat studiosè, cujus sententiæ hinc sit Callistratus Antecessor, intellectoque, hunc adhærere opinioni, quæ favet actori, petit istum à Principe judicem Commissarium, neminem *nominatim* in supplicatione proponens, scribens autem clam amico, ut Principi, de judice dando interroganti, suggerat Callistratum; res succedit actori, reo Commissarium non recusante, actor vincit.

- Q. 1. An actor, salvâ bonâ fide, Callistratum petere potuerit pro commissario?
R. Affirm.
 2. An amicus actoris bonâ conscientiâ suggerere potuerit Callistratum Principi?
R. Negat. arg. l. 47. ff. de judic., nisi manifestando Principi, quòd supplicans eundem clam petierit.
 3. An Princeps, manifestatione istâ sibi factâ, rectè daturus esset Callistratum?
R. Affirm., dummodo ad verecundiam hujus viri sibi notam respiciat, videlicet, quòd in causis neque amicitia moveatur cujusquam, neque suas opiniones capiosè depercat.
 4. An Callistratus, juris decretorio puncto hinc inde ventilato, agnoscens *æqualem contrariarum opinionum probabilitatem* possit pro actore pronuntiare? *R. Negativè, etiamsi foret judicium duplex. Et cave tibi à traditis per P. Engel ad tit. de Offic. Jud. num. 9.*
 5. An, reo non appellante, triumphans actor tutus sit in conscientiâ? *R. Negat. nisi arbitrio boni viri judicet opinionem juris pro se militantem suis momentis alteri præponderare.*

EX

EX JURE S. R. I. PUBLICO.

- I. **T**empore S. HENRICI, II. Germaniæ Regis, I. Imperatoris, fuerant quidem jam usitata *Archiepiscopia secularia* Imperii; sed etiamnum *ambulatoria* de hoc ad illum Ducem, absque certis atque determinatis Ducatibus, quibus illa fuissent affixa.
- II. Tunc Bohemiæ Dux nondum erat *Pincerna* S. R. I., nondum *Camerarius* Marchio Brandenburgicus, nondum *Dapifer* Comes Palatinus, nondum (jure saltem stabili) *Marescallus Dux Saxonie*.
- III. Principatus tamen Episcopalis *Badenbergensis* jam tunc, more aliorum, verosimilius nactus erat illustrissimi nominis Vasallos, qui ejusdem quatuor *officia majora* (*die Oberämter*) gererent; nempe *Camerarium* Brandenburgicum Marchionem, *Dapiferum* Bavarie, *Marescallum* Saxonie, *Pincernam* Bohemiæ Duces.
- IV. Non *ratione Ducatum*, vel *Archiepiscopiorum* Imperii, aut *Electoralis Dignitatis*, sed *intuitu viciniae*; ut essent potentes in propinquo Vasalli pro defensione novæ illius Imperialis Ecclesiæ.
- V. Officialibus istis superioribus assignata fuerant feuda *Bambergensia*, quibus investirentur ab Episcopo Principe *illi ipsi*, qui *ex accidente* vel tunc jam erant, vel postea facti sunt, & permanserant *Archiepiscopales & Electores S. R. I.*, non quasi destinasset S. Imperator, ut iidem essent *Officiales Bambergensis Episcopi*, qui Imperatoris.
- VI. *Camerarii* Bambergensia feuda *in specie* ignorari dicuntur, tam à celsissimo Domino directo, quam à serenissimo Vasallo, ideoque investituræ solùm genericè loquuntur, & operam detegendorum injungunt. Verosimiliter non *Custrini*, vel aliis in locis ulterioris Brandenburgici Marchionatus Slavicis, quærenda sunt, sed in vicino Bambergæ Brandenburgico-*Culmbacensi* solo.
- VII. Feuda *Dapiferi* recensentur in literis investituræ pro *Ludovico* Comite Palatino Rheni de an. 1269. apud *Tolnerum* in Cod. diplom. Palatin. pag. 80., videlicet castrum *Hobenstein*, *advocatia bo-*

novum, & *hominum* in *Hersbruck*, *Vilseck*, *Auevbach*, *Pagentz* (alii *Paegens*) *Velden*; quæ loca, tunc ad Ducatum Baviariæ respicientia, postmodum superiorem Palatinatum constituerunt. Sed nihil eorum retinuit Palatinus Elector; nam *Vilsecum* dominio directo consolidatum est, *Auevbacum* rediit ad Electorem Baviariæ, *Hobenstein*, *Hersbruck*, & *Veldena* abierunt ad Norimbergenses, *Pegneshus* urbecula ad Marchiones Culmbacenses.

VIII. *Marescalli* feuda expriment literæ investientes de an. 1629., frustra à J. P. de Ludwig explosæ; videlicet castra, *Wittenberg*, & *Mühlberg* cum civitatibus ad Albim, nec non castrum *Treibitz* cum villis *Bersted*, *Ulfendorff*, *Weiffig*, & *Labgast*.

IX. *Pincerna* veterem civitatem Pragam assignant, quam remur esse feudum *piè oblatum*, reliqua prædicta autem à *S. Henrico*, nomine *Bambergensis Ecclesiæ*, ceu *dominæ directæ*, data.

X. Ab hoc quaternio numero superiorum Officialium *Bambergensis* Episcopatus derivant vulgare dictum *de filo serico S. Kunigundis*, quo ipsa villam *Bambergam* circumcinxisset; nos autem credimus, potius ab antiquis intellectum fuisse patrociniū Divæ Imperatricis, quo illam sine muro firmitus muro tutatur.

XI. *Ipsos* autem quatuor primævos *Electoatus* cum *Archiofficiis* Imperii ab *Episcopo Bambergenfi* pro feudis dari, & recognosci, pridem non invenit fidem.

XII. Imò feuda hæc nihil cum terris *Electoralibus* connexionis habent, consequenter *solitariè* amitti possunt, sicut cætera aliorum feuda, quin deberet totus amitti *Electoatus*.

XIII. *Serenissimi* isti *Vasalli* non investuntur *mediante juramento*, sed *solo manûs stipulatu*; neque omnes renovant investituram, quoties mutatur persona celsissima *Domini directi*.

XIV. *Ministeria* sua per *Subvasallos*, à se investitos, singuli exhibent; *Camerarius major* primitus per *Nobiles Francones de Schweinshaupt*, his extinctis per illos de *Rotenbahr*; *Dapifer major* per

per *Truchsesios de Pommersfelden*, hinc prænominatos, Marefchal-
 lus major per *Kunftadiensés*, qui adhuc florentes ab hoc officio se
 nominant *Marefchallós de Ebnet*, & sunt ejusdem sanguinis, &
 feuti cum Lib. Baronibus de *Redwitz*; Pincerna major primitùs per
 Nobiles de *Rotenbahr*, postea per Nobiles de *Auffses*.

EX JURE FEUDALI.

- I. **A**it textus II. *Feud.* 15. propè fin. *Si inter duos, qui dixerunt, se esse Vasallos, de feudo fuerit DUBITATIO, alter alterum invitum trahere non potest ad Dominum, vel ejus Curiaé judicium. Si verò cum sua Curia Dominus vocaverit eos, nemini eorum licet illius Domini, vel ejus Curiaé examen declinare.*
- II. Hic animadversa fuit difficultas ex eo, quòd *invitus trahi* non possit vasallus *prætendens à comprætendente* ad forum feudale, & nihilominùs hoc declinari non audeat post judicis feudalis vocacionem, sive citationem.
- III. Glossa, verbo: *ad dominum*, arripuit pro solutione verbum: *dubitatio*; tunc enim, ait, invitum trahi non posse *propter incertitudinem feudi*; secùs fore, si inter *duos, jam vasallos*, esset *controversia*, & argui posset ex I. *Feud.* 18. *Si CONTENTIO fuerit inter Capitaneos, minores valvasores, & majores.* Verùm perinde sunt *dubitatio, controversia, contentio, questio*; semper enim foro feudali erit locus; cùm feudum prætensum in nullo extraneo judicio peti possit.
- IV. Eadem versum: *non licet illius Domini vel Curiaé examen declinare*, sic intelligit: *non licet, i. e. INDECENS EST EI*; non autem, quòd *NON POSSIT examen ejus declinare*, monè:que: *similia studiosus inquirat.* Tu autem Glossæ repone: *similia studiosus explodat.*
- V. Sibi verò objiciens Glossa, *puniri posse eum, qui vocatus ad judicem*

non venit, ergo & Vasallorum alterum, qui vocatus contemnit venire ad Dominum, vel ejus Curiam, resolvit nihilominus, hunc sine pena abiturum, dans miscellam rationem, illud tantum de judice ordinario generali verum esse; sed judicem feudalem, licet sit ordinarius, esse tantum judicem inter aliquos, & paucos. Hoc rursus explodat studiosus.

VI. Denique subjungit eadem, infra II. Feud. 46. hoc corrigi: atqui non corrigitur, sed firmatur ibi, quod in II. Feud. 15. statuitur! dicit enim praelaudatus textus: & licet alter per se non possit alterum trahere ad Curia judicium, GENERALITER tamen etiam, si inter duos causa fuerit de beneficio, eos Curia vocante, non licebit eorum alicui ejus Curia judicium declinare; ubi Glossa non stat firmo talo.

VII. Dicendum igitur, etiam prætendenti feudum necessitatem incumbere veniendi ad Curiam, si hæc illum, ad instantiam alterius partis, vel ex officio citet; invitum verò, & quasi obtorto collo, ut olim per LL. XII. tab. II. licuit, neminem illuc trahi posse à suo adversario; quæ explicatio Jacobi de Belviso optima est omnium; cum ille vetustus mos non sit ad decori regulas, quas Curia feudales vel maximè colunt.

VIII. Hinc nulla Curia feudalis patietur practicari, quod Engel ad tit. de font. comp. 90. docet, judicis ordinarii cognitionem tunc fore, si duo de re tanquam feudali controvertant, uno causante, esse antiquum, seque jure agnationis succedere, altero, esse novum, quia Domino apertum, sibi que ab hoc collatum.

EX JURE CRIMINALI.

I. Potestatem plectendi crimina lex Romana vocavit imperium merum, jurisdictionem verò civilem imperium mixtum.

II. Explicationem istorum verborum dedit quidem l. 1. §. 4. ff. ad SC.

SC. Turpill.; verùm hæc, licèt in multis contrà delinquentes processibus subsistat, in multis tamen etiam vapulat; quis enim dixerit, in omni causâ criminali sufficere pronunciationem super *sola facti questione*; non requiri aliquam *super convicti supplicio*? Sanè praxis nostra in omnibus sententiis exprimit *genus supplicii*, sicut olim exprimere debuit saltem *in penis arbitrariis ipsamet Romana*.

III. Germani, latinè docentes & scribentes, usque eò iverunt in adoptionem Justinianæi juris, ut ab hujus peregrinis legibus barbara nomina *meri & mixti imperii* inducerent, etiam in ipsa Imperatorum diplomata; quin hucusque in linguâ nostrâ repertum fuerit appositum verbum, quo illa exprimerentur.

IV. Dum verò *scholæ nostræ* adhucdum resonant absonis illis vocibus pariter & obscuris, *fora* substituerunt intelligibiliore, *jurisdictionis criminalis, & altæ*; quanquam *centenariæ* (*der Zent-Gerichtsbarkeit*) appellatio, originis Francicæ, admodum adhuc frequens, non sit de clarioribus, nec congruentioribus; aptissimè autem, tum ad imitationem *librorum terribilium*, ut appellantur in *l. 2. §. 8. C. de V. J. E.*, tum ad priscum, hodiernumque Germanicum: *die fraißliche Obrigkeit*, vocaretur *jurisdictio terribilis*.

V. Explosis juris Romani vocabulis, retinetur tamen passim, & meritò, definitio imperii meri, quod legi 3. ff. *de jurisdict.* ex Ulpiano est, *habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines*.

VI. *Gladii* hic facta mentio non est *præcisa & exclusiva*; sed quoniam is moribus gentium erat præcipuum, ac honorificum Insigne istius *generalis*, ad omnes pœnas se extendentis *jurisdictionis*.

VII. Hinc Dominus *territorialis* à domino *terribilis* jurisdictionis, qui consuevit *laquei* solùm pœnâ afficere, non prætender in casu, quo *gladius* esse deberet criminis ultor, *specificam* probationem, vel juris, vel possessionis, *etiam gladio* animadvertendi, sed, ad *universitatem* juris vindicandi crimina salvandam, satis erit, istum *aliquod genus* mortis naturalis intulisse.

VIII.

VIII. Sæpè Domini directi Vasallis suis dederunt jurisdictionem *terribilem*, exceptis *quatuor casibus altis*, quos sibi reservârunt; *die vier hohe Fäll, oder Rügen ausgenommen*. Quinam hi sint casus, determinabit provinciarum consuetudo; non enim est eadem ubique istorum 4. delictorum recensio, cum 1) alibi enumerentur, *Nacht-Mord, beweister Diebstall, Nothzwang, und Brand*; alibi 2) *Brand, Mord, Raub, Diebstall*; alibi 3) *Fehde, Mord, Brand, Nothzucht*. alibi 4) *Mord, Brand, Nothzucht, Raub*; quæ postrema enumeratio cæteris præstare videtur.

IX. In *primâ* recensione non omne homicidium dolosum comprehenditur, in *secundâ* omne, in *tertiâ*, & *quartâ* solum *homicidium clandestinum*, quod leges Bojorum, & aliæ mediæ ævi barbarè vocabant *mordvitum*; quin tamen necessariò debeat esse *latrocinium*, i. e. homicidium *rapinæ causâ* factum.

X. Sub reservatis istis casibus intelliguntur alii, nempè *atrociores* expressis, non *equalis* vel *minoris* malitiæ.

XI. Jurisdictio hæc sæpè sic est divisâ inter duos, ut Domino *Centenæ* competat *Alta*, & Domino *Vogteje* relinquatur *Bassa* criminalis, sive *excessuum* potius, quàm *flagitiorum*, punitio, per carcerem civicum, multas pecuniarias, stationem ad crucem, vel columnam, agitationem in caveâ per gyrum versatili, incruentos baculorum ictus, damnationem ad labores, ad columbar collo manibusque inclusis portandum, & similes pœnas propriè non infamantes; non autem per expositionem ad numellas, aut relegationem cum vel sine fustigatione.

XII. Cùm verò constet, plura delicta in Germaniâ olim leniùs, & civiliter tantùm punita fuisse, postea verò graviùs; hinc orta est lis inter diversos locorum dominos diversorum jurisdictionis graduum, utrum eorum punitio ad *altam*, an verò ad *bassam* vel *vogeticam* jurisdictionem spectaret. Nos putamus, ad *altam* mox

transferri delicta, aliàs ab habente *bassam* punita, simul atque ipsa lege publicâ novâ per carnificem in vitâ aut corpore puniri incipiunt.

EX JURE TREVIRENSI.

I. §phus tertius, & quartus Tit. XVI. Juris nostri Statutarii * non sunt desumpti ex l. 2. C. de pignor., sed ex l. 9. C. de distract. pign.; proinde applicari non debent casui, quo *primus* creditor hypothecarius certat cum *secundo*; sed soli casui, quo *creditor* istiusmodi certat cum *debitore* suo super pignoris distractione; utrum prius discutienda sit hypotheca *specialis*, quàm conjuncta illi *generalis*.

* Verba §. 3. sunt: man ein gewis Unterpand verlegt, und darauf geklagt wird, geschicht die execution darin vor allen anderen Güteren, und man selbiges nicht sufficient, in die übrige, dergestalt, daß der Triumphant, wann er sich immittiren laßet, selbiges bis zu seiner völligen Zahlung, und Erhaltung des judicati genieße; wolte er aber auf die distraction des Unterpands andringen, ist der in folgendem §. 4. enthaltener Ordnung gemäß zuverfahren. Verba §. 4. da aber der Glaubiger sich nebend der *Special-* zugleich mit einer *General-Hypothec*, und zwar mit dem Beding, das eine der anderen nicht hinderlich seyn solle, vorgehen hätte, siehet ihm frey, die in genere verpfändte Güter, mit Hindansetzung der *Special-Hypothec*, im Nechten zu verfolgen, und die execution darauf zu begehren.

II. Hæc clausula: *ne hypothecarum altera alteri præjudicet*, prorsus hic est necessaria; utpote, quâ omisâ, debet creditor prius solenniter vendere, quæ *specialiter* sibi obligata sunt, ut appareat, an ex pretio pignoris satisfieri possit debito: quoad deerit, consequetur *jure conventionis* ex subjunctâ hypothecâ *generali*, utpote *conditionali*, & *subsidiariâ*, ut ait d. l. 9.

III. Non erit autem necessaria, si præcesserit hypotheca *generalis*, & subjunctâ sit ei *specialis*; tunc enim non aderit *conditio*, nec *subsidiaria* securitas, sed *æqualis* in genere, & specie.

IV. Neque tunc erit prædictâ clausulâ opus, si formula l. 15. §. 1. ff. de pign. adhibeatur, quam Gajus dicit cottidie inseri solere cau-

tionibus: ut specialiter rebus hypothecæ nomine datis, cætera etiam bona teneantur debitoris, quæ nunc habet, & quæ postea adquisierit, PERINDE ATQUE SI SPECIALITER HÆ RES FUISSENT OBLIGATÆ.

- V. Clausula, quæ juxta thesin II. apponi potest contra l. 9. C. de distract. pignor., non potest apponi contra l. 2. C. de pignor. sic, ut noceret secundo creditori hypothecario; proinde id, quod communiter suadent hic D.D., non est *beuema*, sed *hamartema*.
- VI. Neque enim pactum illud inter creditorem & debitorem præjudicare potest jurisdictioni per æquitatem temperandæ.
- VII. Quanquam, alterius hypothecarii consideratione, prior hypothecarius, qui hypothecæ speciali adjunxit generalem, in utrâque æquale jus habeat l. 2. cit.
- VIII. Nec sit ei opus, prius specialem hypothecam discutere, & quod deerit credito, ex generali discutiendâ supplere;
- IX. Sufficit enim, quod certum non sit, posse illi ex hypothecâ speciali satisfieri, quin explorari hoc debeat per discussionem: si certum non sit, cessat æquitas temperandæ jurisdictionis, potestque creditor, dissimulatâ speciali hypothecâ, inoffenso jure communi, & statuario, sibi eligere bonum, quod vult, ex generali adjunctâ.
- X. Hinc quoque terror panicus est, quem nonnulli injiciunt, fore, ut is, qui speciali hypothecæ generalem adjungit, miserè decipiat: vel enim certum est, posse eum ex his, quæ nominatim pignori obligata sunt, universum redigere debitum, vel incertum est: priore casu non indiget generaliter obligatis sibi bonis, in posteriore aget in bona generaliter obligata: ergo nunquam miserè decipietur per suam illam cautelam.
- XI. Cui ergò injungetur probatio: certum esse, vel non esse? Putant plerique, primo creditori, si velit, persequi hypothecam generalem, dissimulatâ speciali; sed errant; cum potius intervenienti secundo creditori incumbat probatio affirmativæ: certum est.

XII.

XII. Quo heuremate evadet quis l. 2. C. de pignor. ? R. Faciat se possessorem hypothecarum per constitutum, ut eas debitor possideat pro creditore, deinceps acturo, non hypothecariâ, sed conditione ex l. ult. C. de acquir. vel retin. possess.; de quâ cautelâ Codex Fabricianus lib. 7. tit. 7. defin. 1. & lib. 8. tit. 6. defin. 8.

HISTORICO-CHRONOLOGICUM.

DE

S. HENRICO I. Imp., Bambergensis Episcopatus fundatore.

I. Sub Pontificatu Joannis XVIII. Papæ, & anno regni S. HENRICI II. sexto, ex portione Diœcesis Wirzeburgensis, quatenus hæc nempè Comitatum Badenbergensem complectebatur, nova diœcesis Bambergensis erecta fuit Indictione V., ut habent unisona successivi temporis monumenta: Q. Quo anno Domini? R. anno secundum modernum stylum 1007. & respectivè 1008; utrumque enim annum complectitur illa indictio quinta, utpote incipiens in Septembri anni nobis 1007, ac desinens in eodem 1008; electus autem, & coronatus fuit in Regem Henricus anno 1001, ut refert vita ejus cap. 1. Nec verum est, quod Annalista Saxo acta ista retulerit uno halitu omnia ad annum 1006 apud editorem ejus Eckardum, ut notavit J. Hartzbemijs Tom. 3. Conc. Germ. pag. 33.; cum ea referat Annalista disertè sub anno Domini Incarnationis M. VII., postquam Rex Natale Domini Palithi celebraverat, Epiphaniam verò, cujus Vigilia tunc primâ feriâ Dominicæ Resurrectionis incidit, in Gandersheim, dein ad Scaldin, Gandavum usque exercitu ducto Balduinum Flandriæ Comitem devicerat. His compositis rebus, Cisalpinis demùm Episcopis generale Concilium in Franconeverde indixit.

II. Sub quâ pactionis lege in hoc S. Regis votum primùm consenserat

D 2

Hen-

Henricus I. Episcopus Wirtzburgensis ex Comitibus de Rotenburg? R. Ut suæ dicecesis *Civitas* erigeretur in *Metropolim*, habituram sub se Episcopos, *Bambergensem* & *Eichstadensem*: sed defecta fuit hæc conditio, nolente Papâ, & Eichstadenfi, nec faciliè consensuro *Willigiso* Moguntino: quapropter se opposuit erectioni huic Wirtzeburgensis.

III. Quâ igitur autoritate *invitus* Episcopus privatus est insigni portione parochiæ suæ? R. Autoritate *Concilio nationalis*, anno 1007. Francofurti ad Mœnum habiti, præsentibus *Willigiso* Moguntino, *Ludolpho* Trevirensi, *Heriberto* Colonienfi, *Doginone* Magdeburgensi, Archiepiscopis, pluribusque Episcopis; ita quidem, ut primo die audiretur propositio humiliter ac instantissimè coràm petentis Regis, unâ cum oppositione *Beringeri*, illuc ab Episcopo suo ob merum Regis absente ablegati Capellani, sive Cancellarii Wirtzeburgensis, altero autem die unanimiter decideretur erectio, & mox à *Willigiso* eodem adhuc die consecraretur in primum novæ dicecesis Episcopum *Eberhardus* Regis Cancellarius, ut refert *Ditmarus*, Merseburgensis Episcopus in *Chronico*, & *Annalista Saxo*, editus ab *Eckardo* Tom. I. Scriptor. med. ævi pag. 406. his verbis: *cunctisque præsentibus sermonem ejus confirmantibus Rex gloriosus Eberhardo Cancellario suo curam pastorem commisit, quem præfatus Archipræsul Willigisus EODEM DIE consecravit.*

* J. Hartzhemius Tom. III. Conc. Germ. pag. 34. citavit ex *Eckardo* Scriptor. med. ævi *Annalistam Saxonem*; abruptit autem post verba: *legaliter potest impleri*, omitrens ibi notabilia mox adducta; sed pag. 38. subjungit discontinuatam & interpolatam *Annalistam* sic: *cunctis præsentibus, CONFIRMATIONE PAPÆ, & omnium Episcoporum AUDITA, Rex gloriosus Eberhardo Cancellario suo curam pastorem commisit, quem præfatus Archipræsul Willigisus EODEM DIE consecravit.* Verba illa interjecit *Hartzhemius* absque duce *Gretsero* in *Vitâ S. Henrici*, & contra narrationem *Ditmari* Merseburg. tunc præsentis, quam refert *C. Baronius* ad an. 1006. n. 2. 3. 4. Cur hoc? Docuerat jam priùs Tom. II. Concil. pag. 703. in digressionem ad Sæc. X. hoc thema: *institutio novorum Episcopatum, vel eorum mutatio, ad Sedem Apostolicam spectat.* Vidit Tom. III. in erectione novi Episcopatus Bamberg. autoritatem immediatè exequentis Concilii provincialis: dismembravit, interpolavit *Annalistam*.

IV. Consensit postea, fratris sui uterini S. *Heriberti* Colon. hortatibus acquiescens, *Henricus* Wirtzeburgensis cum *communi Cleri sui, atque Militum*, i. e. Nobilitatis Franconicæ, nec non totius populi Concilio, atque consensu, rem cum S. *Henrico* Rege 7. Maji. an. 1008. *indictione V.* in civitate Wirtzeburgensi componens: recognoscens illam chartam novo Bambergensi Episcopo *Eberhardo* Cancellario, vice *Willigisi* Archicancellarii.

V. Directi sunt post hoc à Rege Nuncii, & ab *Henrico* Episcopo contento literæ ad Pontificem max. *Joannem* XVIII., ut privilegio Apostolicæ auctoritatis Episcopatus noviter factus fundaretur. Interpellatus itaque pro hac sede confirmandâ *Joannes* in Synodo Romæ habitâ 1) confirmavit *mensè Junio, indictione V.* Cathedrali huic Ecclesiæ integram dotem, quam ei constituerat S. *Henricus*. 2) *liberum ab omni potestate extraneâ, nec non Comitum, ac Judicum*, voluit esse eundem Episcopatum, *ROMANO TANTUMMODO MUNDIBURDIO SUBDITUM*; sic tamen, 3) ut esset Episcopus Bambergensis *suo METROPOLITANO*, Archiepiscopo Moguntino, *SUBJECTUS, ATQUE OBEDIENS*.

VI. Rescripsit etiam Papa universis Galliæ, & Germaniæ Episcopis, ut ipsi quoque pari communique auctoritate prædictum Episcopatum roborarent: convenerunt itaque eodem anno post mensem Junium in *alterâ* Synodo Francofordiensi XXXVI. Archi- & Episcopi, unanimiter factum corroborantes.

VII. Q. I. Quomodo intelligentur verba Ditmari: *Eberhardo tunc* (i. e. in primâ Synodo Francofordiensi) *CURA PASTORALIS A REGE COMMITTITUR*, & *hic à præfato Archipræsule eodem die consecratur*? R. Non sic, ut significant, *Episcopalem potestatem à Rege datam*, sed, *Eberhardum à Rege nominatum esse in primum Episcopum Bambergæ*, tradito ipsi pro investiturâ pastorali baculo, quem prius ab *Henrico* Wirtzeburgensi acceperat Rex, & in hoc Concilio publicè ostenderat, ad probationem dati ab illo,

dein pœnitente, consensûs efficacis: *jus ipsum episcopale* verò accepit nominatus *per consecrationem Willigisi.*

VIII. Q. 2. Quâ ratione *Willigisus*, adhuc ante confirmationem Apostolicam, potuit *Eberbardum* ad neo-erectam Cathedralē consecrare? R. Tunc temporis erectio novorum Episcopatum non dū fuit *usuale reservatum* Papæ. *Can. 51. XVI. q. 1.*, imò & *Cap. 16. de M. & O.*; sed poterant hoc se solis Concilia provincialia, vel nationalia; id quod exempla plura aliis in casibus demonstrant: Ad hoc fatis est, Episcopum, cujus interest, citari, ejusque oppositiones audiri; tamen si nollet consentire, modò adsit *necessitas, vel magna utilitas* in erectione novi Episcopatûs.

IX. Q. 3. Quid igitur operata est *subsequens* consecrationem Papalis *Confirmatio*? R. Hæc, sicut & aliorum Episcoporum Synodi Francofordiensis, erat *solemnis receptio novi illius Episcopi in Communionem Episcopalem*; addens his, quæ ante confirmationem acta jam fuerant, atque perfecta, majorem firmitatem *extrinsecam* agnitionis communis.

X. Q. 4. Quem sensum habent verba Bullæ Pontificiæ de an. 1008. *Commutatione factâ jure, ac legaliter cum Henrico Wirtzburgensi Episcopo de aliquâ parte parochiæ sui Episcopatûs*? Rex *Henricus* de patrimonii sui jure dedit *Wirtzburgensi Henrico* dominia temporalia, in *Grapsfeld* pago, *Otonis* comitatu, sita, videlicet *Meinungam* cum *Marca* hujus nominis, & *Waldorff*, ut refert *Lauventius Fries*, *Mergentheimensis*, Sæc. XVI. *Chronographus*, *Archivarius*, & *Consiliarius Wirceburgensis*, in *Vitâ Henrici I Episcopi*, ex diplomate *Henrici Regis*, ibidem cap. 20. in Germanicum translato: licuitne ergò spirituale commutare cum re temporali? R. Ex *Cap. 16. in fin. de M. & O.*, sola amissa emolumenta *temporalia* compensabantur datis aliis temporalibus.

XI. Qui sumentur verba bullæ *Joannis* Papæ: *sit ille Episcopatus liber, & ab omni potestate extraneâ securus, ROMANO TANTUM-MODO*

MODO MUNDIBURDIO SUBDITUS? R. Receptus fuit in tutionem, ac protectionem solorum, *Imperatoris, & Papæ* conjunctim, non tantum ut *Papæ & Apostolici*, sed etiam ut *Principis temporalis* super Urbem Romanam, & appertinentes terras, quas ipsi confirmavit S. *Henricus Imp.* anno 1014. *velut Principatum* sub Imperio Romano Germanico, *salvâ in omnibus potestate suâ, posterorûmque suorum.* Instrumentum ex Harduino inseruit *Hartzbemius Tom. 3. Conc. Germ. pag. 44.*, in quo S. Imperator ad *Benedictum VIII.* Papam sic: *sub tutione præterea Petri, & Vestrâ, Vestrorûmque Successorum prætaxatum Episcopium Bambergense offerimus, unde sub pensionis nostræ debito equum album pbalevatum ex ejusdem loci Episcopio vos annualiter suscepturos sancimus.* *

* *Apocha Clementis II.* de anno 1048. apud *Hoffmann* in *Annal. Bambergensib.* cap. 23. addit *centum marcas argenti*, quæ sunt 666 $\frac{1}{2}$ uncia modernæ legis 15 lotonum. Verba Brevis *Clementini* sunt: *Annuum censum unius palafredi albi cum sella, & centum marcarum auri:* fuerunt hæ, equo tantum retento, anno 1053. sub *Henrico II.* vulgò *III. Imp.* remissæ à *Leone IX* in vicem cessi *Apostolicæ Sedi* *Beneventi.* *Leo Ostiens. Lib. 2. cap. 46.*

XII. Cùm *Bulla Confirmationis* novi *Episcopatus Bambergensis* patenter velit, hunc *Episcopatum fore sub Metropolitano Moguntino:* quî factum est, ut *immediatè* subesset *Romano Pontifici?* R. Scribunt, *immediatum* hujus *Cathedralis* cum *Romanâ Ecclesiâ* nexum deberi *Benedicto VIII.* *Papæ;* sed hujus *Bulla:* *Quandocunque* de an. 1019. per verba: *Ecclesiam autem (S. Henrico Imp.) cum omni integritate Episcopatus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo Authore præfidemus, & Nobis obtulit,* non potest ultra terminos *mundiburdii* extendi, aliàs post *Benedictum VIII.* *Papa Leo IX.* adhuc an. 1053. 3. Jan., quo jus pallii *Hartvico* *Bambergensi* concessit, non posuisset: *Salvâ auctoritate domnæ metropolitana Moguntinæ Ecclesiæ,* nec eod. anno, dum præsens *Bambergæ* hujus *Ecclesiæ* privilegia confirmavit: *sit ille Episcopatus liber, Romano tantum mundiburdio subditus...* **SED TAMEN IDEM EPISCOPUS SUO METROPOLITANO, EPISCOPO MOGUNTINO, in canonicis causis tantum-**

tammodò, SIT SUBJECTUS, ET OBEDIENS. Citatas bullas vide in vitâ S. *Henrici*, quam edidit J. *Gretſerus* S. J., & ex J. P. de *Ludewig* in Scriptorib. Episcopatus Bambergensis, apud quem cap. 25. quære *Benedicti* VIII. & cap. 17. 18. *Leonis* IX., bullas, ordine satis præpostero.

XIII. Primus Bambergæ Episcopus *Eberhardus* adhuc circa an. 1023. refertur inter illos XII. *Suffraganeos Aribonis* Archiep. Moguntini, qui pro isto ad *Benedictum* VIII. Pap. scripserunt. *Conc. Germ. Tom. III. pag. 63.* Adde pag. 99., ubi an. 1027. idem *Aribo* comparuit in Synodo Franconovordienſi cum suis Suffraganeis, quos inter mox dictus *Eberhardus* Bambergensis quarto loco nominatur.

XIV. *Adalbertus* II. Archiep. Mogunt., adhuc an. 1118. scribens ad Clerum tunc Schismaticum Bambergensem, ponit, se inter XV* *Moguntini privilegii Suffraganeos* præelegisse in Consecratorem suû *Episcopum Bambergensem*, nempè S. *Ottonem*. *Ibid. pag. 768.*

* *Quindecim* ajebat Aribo; in antiquissimâ recensione, quam refert *Goldastus* ad annum Regni *Caroli* M. 42., Imperii 9., numerantur VII. *Suffraganeæ* ad provinciam Moguntinam civitates, videlicet 1.) *Argentoratensis* i. e. *Stratburg.* 2.) *Nemneris* i. e. *Spira.* 3.) *Vangionum* i. e. *Wormatia.* 4.) *Wirtzburgensis.* 5.) *Constantia.* 6.) *Castrum Rubilocus*, quod *Eichsteti* dicitur. 7.) *Augusta Vindelicum* i. e. *Auverspurg.* J. *Hartzheim Conc. Germ. Tom. I. pag. 26.* In suprâ *Theſ. XIII.* allegato documento memorantur Suffraganei XII. vid. 1.) *Burchardus Wormatiensis.* 2.) *V. (Ulricus) Curienſis.* 3.) *Werinhardus Argentinensis.* 4.) **EBERHARDUS BAMBERGENSIS.** 5.) *W. (Waltherus) Spirensis.* 6.) *W. Mur...iensis.* (lege: *W. Muraviensis*, i. e. *Olomucensis*, cujus nomen non reperi, forsan autem erit *Wercilo*) 7.) *Meginhardus Wirceburgensis.* 8.) *H. (Haymo) Constantiensis.* 9.) *S. (deberet esse B. Bernwardus) Hildenesheimensis.* 10.) *H...olacensis* (lege: *Heriberus Rubolacensis*, i. e. *Eichstadiensis*) 11.) *Brantho Halverstadiensis.* 12.) *H...gensis* (lege: *Hizzo Pragensis*) In prædicto *Tom. I. Conc. Germ. pag. 27.* allegatur ex *Auberto Miræo Codex provincialis Vetus*, sic habens: *Moguntinus Archiepiscopus cum QUATUORDECIM Suffraganeis*: hos *Noritia IV. antiqua Patriarchatum, & aliarum Ecclesiarum ex Caroli à S. Paulo Parergo ad Geographiam Gallie* sic exprimit *ibid. Archiepiscopus Moguntinus habet sub se Suffraganeos.* 1.) *Pragensem*, 2.) *Moraviensem*, vel *Holomucensem.* 3.) *Eistetenſem.* 4.) *Herbipolensem*, vel *Wirceburgensem.* 5.) *Constantiensem.* 6.) *Curienſem.* 7.) *Argentinensem*, 8.) *Spirensis*, 9.) *Verdensis.* 10.) *Udemesensem* (est corruptum, lege: *Hildesemensem*) 11.) *Alunstatensem*, (similiter, lege: *Halberstadiensis*) 12.) *Passerbornensem.* 13.)

PANDEBURGENSEM (corruptum: lege *Bambergensem*) 14.) *Augustensem*. Quod ipsum dicit *Notitia V.* dicti *Parergi*, ut perperam pag. 28. notat *Hartzheimius*; sed inter *Moguntini Suffraganeos* additur *Alberstadiensis*, & *PARABERGENSIS*, sub quibus nominibus latent *Halberstadiensis*, & *BAMBERGENSIS*; adduntur quippe & hi jam in IV. *Notitiâ* sub corruptis nominibus *Alunstattensis*, & *Pandeburgensis*. Adde verò enumeratis *Wormatiensem*, in *Notitiis* incautè prætermissum, & habebis olim 15. *Suffraganeos* *Moguntini*. *Nic. Serarius S. J.* de *Reb. Mog.* pag. 80. scribit, in duobus *MSS.* codicibus *Mog.* numerari *Episcopos* XV., nec tamen nominari plures, quàm XIV.; nempe in eâ, quam ibi dedit, recensione omissus est *Augustanus*. Sed pag. 81. habet XV. ex vitro picto unius fenestræ australis alicujus *Capellæ* in *Metropolitanâ*. Adde *G. C. Joannis Rer. Mogunc.* vol. 1. pag. 52. & 54.

XV. Quapropter (id quod solius interpretationis gratiâ, non impugnandi animo, scriptum esto) non convincit me *Annalista Bambergensis Martinus Hoffmannus*, dum cap. 86. de *Benedicto VIII.* *Papâ* scribit: *Inde privilegia renovare aggressus, beneficia, & jura à Prædecessoribus suis, ut NULLI ARCHIEPISCOPO, aut METROPOLITANO, sed UNI PONTIFICI ROMANO, SUBJECTUS ESSET... AB EO TEMPORE Episcopus Bambergensis in ditione suâ par in honore Archiepiscopo fuit, & in Comitibus Imperatoris, & publicis aliis Imperii conventibus, primum ab Archiepiscopis locum obtinuit. Ipsa verò Ecclesia libera, & specialis Romanæ Sedis filia ideò fuit appellata, quod confirmatio ejus, & consecratio ad solum Pontificem pertinet.*

XVI. Plus roboris est ab *Epistolâ Adalberti II.* *Moguntini* prælaudatâ de an. 1118., in quâ ipse sic confitetur: *proinde cum hæc (Bambergensis) Dei voluntate semper nobilis Ecclesia inter consortes filias ELEGANTIORI, & SPECIALI excellat PRÆROGATIVA, Nos, qui licet indigni METROPOLITANA FUNGIMUR CURA VICE D. PETRI &c.* quibus verbis *Moguntinus* videri posset agnovisse, se respectu *Bambergæ* non nisi *Vicarium S. Sedis Metropolitanæ* esse, quæ vicaria ab *Adalberto* getta dignitas expressavit.

XVII. Successit an. 1145. ad *Egilbertum* Bambergensem Decretalis *Eugenii III.* Papæ de *S. Henrici* Imp. sanctitate, miraculis, & canonizatione, in quâ sic: *Devotionem vestram, & Ecclesiæ Bambergensis, QUÆ SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIAE SOLI SUBESSE DIGNOSCITUR, diligenter considerantes &c.* Harduin. Concil. Tom, VII. col. 1246. de Ludwig Scriptor. Rer. Bamb. Tom. I. pag. 326. post vitam *S. Henrici.* Sed, quò minùs hæc incidenter posita concludenter probent, *cap. 10. de privil. in 6.* obstat;

XVIII. Nihilominùs enim adhuc an. 1160. *Arnoldus* Moguntinus epistolæ conciliabuli Pisani pro *Victore* Antipapâ contra *Alexandrum III.* ita subscripsit: *Ego Arnoldus Archiepiscopus Moguntinus cum QUATUORDECIM Suffraganeis interfui, & subscripsi.**

* Unus igitur de *quindecim* abfuit; præfens autem fuit *Eberhardus II.* Bambergensis; nec dici potest, idèd non fuisse scriptum *cum quindecim*, quia tunc Bambergensis quindeno numero exemptus jam fuerat; nam, si non fuisset sub quatuordecim comprehensus, subscripsisset utique *separatim* instar aliorum quorundam Episcoporum; quod cum non fecerit, concludendum est, *Eberhardum* sub *XIV.* Moguntini Suffraganeis comprehendi. Acta hujus conciliabuli, unâ cum epist. *Eberhardi* Bamberg. ad *Eberhardum* Saltzburgensem, extant in *Harduini* Tom. VI. part. 2. col. 1572. & seq.

XIX. *Nicol. Serarius* S. J. Moguntin. Rer. lib. 1. cap. 22. scribit: *Quando autem, & cur, BAMBERGA, Pragâque tandem, & Olomutium ab eâdem suâ matre avulsæ sint, dicitur postmodum circa Domini annum 1351. ex MSS. in Gerlaco Archiepiscopo Nassoviano, & ipsius præcessore Henrico.* Fidem liberavit pag. 857. de avulsione *Pragæ, & Olomutii*, nempè sub *Carolo IV.* Imp.; nullibi verò de *Bambergâ.*

XX. Quid igitur, si fortè *pertinentius* exemptionis à Metropolitanano documentum proferri non posset, quàm sint prædicta? R. Salvabitur exemptio per *immemorialis temporis præscriptionem.**

* Hoc salvo, quòd Celsissimus Bambergensis, Sedi Apostolicæ pridem immediatè subjectus, non suâ *electione*, sed *necessitate juris*, comparere nihilominùs debeat in
Con-

Concilio provinciali Moguntino, siquod haberi contingeret, &, quæ ibi ordi-
nantur, observare, atque, ut observentur, curare. *Trid. Sess. 24. de Reform.*
cap. I.

XXI. Minimè autem ex Bullâ *Benedicti VIII.* erui potest, quod scri-
bit C. Baronius ad an. 1019. num. 2., præcipuam itineris Papalis,
Bambergam instituti, causam fuisse *confirmationem Bambergensis Epif-*
copatus, nec levem quidem causam: *siquidem, pergit, CIVITATEM*
IPSAM CUM JURIBUS SUIS planè *subjecit* pius Imperator *Rô-*
manæ Ecclesiæ, cui *UT DOMINÆ* annum censum persolveret. Fun-
dat se hîc frustra Baron. in illo Leonis Ostiensis: *Episcopalem in ea*
Sedem constituens B. Petro EX INTEGRO obtulit.

I. O. H. D.



bergenfem Decem
ate, miracula. A
, & Eccleſiæ Bam
LESIE SOLI
ter & S. Hardian
tor. Rez. Bamberg
quò minus hanc
de privi. in 6. ab
Arnoldus Mogunt
cipapâ contra Ale
hiepiſcopus Mogun
, & ſubſcripſit.
rbarus II. Bamberg
quis tunc Bamberg
tandem ſub quorundam
in quorundam Epif
ardum ſub XIV. Mog
unâ cum epif. Ebece
wini Tom. VI. par. 2
1. cap. 22. ſcri
âque tandem, &
poſtmodum circa
epiſcopo Naſſoviano
pag. 857. de ave
7. Imp.; nullibi
mpionis à Mem
ſine prædicta? &
s præſcriptionem.
Sedi Apoſtolice peti
ris, comparere nihil

m Bambergensem Decretum
 sanctitate, miraculis, et
 vestram, & Ecclesie
 ECCLESIAE SOLI
 considerantes &c. Harduinus
 Scriptor. Rer. Bamberg.
 Sed, quò minus haec
 cap. 10. de privil. in 6. tit.
 160. Arnoldus Mognerus
 Antipapam contra Alexan-
 dum Archiepiscopum Mogun-
 tium interfuit, & subscripsit.
 fuit Eberhardus II. Bambergensis
 quideim, quò tunc Bambergensis
 si non fuisset sub quatuordecim
 aliorum quorundam Episcoporum
 Eberhardum sub XIV. Mogun-
 tium, unà cum episcopo Eberhardo
 in Harduinus Tom. VI. part. 4.
 er. lib. 1. cap. 22. scribitur
 Pragae tandem, &
 dicitur postmodum circa
 Archiepiscopo Nassosiano
 eravit pag. 857. de avu-
 rolo IV. Imp.; nullibi
 exemptionis à Mercurio
 quàm sint praedicta? &
 temporis praescriptionem.
 Sedi Apostolicae praescri-
 ptione juris, comparare nullibi

